

015. 104  
COMMENTATIO HERMENEVTICA.  
BREVIS  
DE  
M V T V O  
P S A L M O R V M  
N E X V

QVAM  
IN CONVENTV ANNIVERSARIO

III. KAL. IVN. clb Idcccxxxvi. INDICTO

*PL. REVERENDIS*

VERBI DIVINI PRAECONIBVS  
IN COMITATV HASSO-SCHAVMBVRGICO

DIIVDICANDAM EXHIBET

D. IO. ENGELH. STEVBER.

---

RINTELII

EX OFFICINA IOH. GODOFR. ENAX, A. T.







es confessa est, tum temporis indagacionem, quo scriptores sacri, Deo iubente, conceptus quoque rerum litteris consignandarum, et verborum, quibus res exprimendae erant, desuper suggerente, volumina sua absoluerunt: a) tum ordinis inuestigationem, in quem scripta redegerunt, tantum in illis intelligendis oraculorum coelestium

- (a) Ita verum sensum verborum, quae Ierem. XVII, 16, 17. leguntur, is demum assequetur, qui ex historia sacra, vetustatis illa nuncia, nouit, omnium prophetarum posteriorum, vti Hebraei loquuntur, primum aut saltem primis aequalem, Ionam fuisse, ad cuius a facie Domini fugam, et desiderium quo in vrbs ruina oculos pascendi suos flagrabat, sat manifeste alluditur. Similiter naufragium illud, quod Paulus ad insulam Melitam Act. XXVII. a Luca memoratum, fecit, non fuit vt nonnullis quidem ex temporum ignoracione videtur, vnum ex tribus, quorum



lestium interpretibus afferre adiumentum, quantum neglectio huius subsidii damnum istis dare solet, qui de eo iam inde ab adolescentia sibi comparando parum solliciti sunt. Est enim vere hic ordo theologiae exegeticae anima, ad quem nisi sollicitè attendatur, frustra in eruendo scripturae sacrae sensu desudabimus. Atque haec ipsa ratio est, quod et olim, et hodie viri pietatis et doctrinae laude clarissimi, in hoc inveniendi rerum nexu, omnes industriae suae nervos intendere grauatè haud fuerint. Enimvero in libris *historicis* is facile reperitur, b) difficilium in

A 2

dogma-

rum ipse meminit 2. Corinth. XI, 25. cum haec epistola fatis probabiliter anno Christi LVII, adeoque longe ante iter Romanum, in quo vehemènti tempestate fere oppressus Paulus, scripta fuit.

- (b) Neque huic obstat assertioni, quod in libris *historicis* ordo chronologicus aliquando inuertatur, ita quidem, ut rem gestam non illo quo proprie debebatur loco, sed alieno recentitam deprehendamus. Haec enim transpositio, aut si maius narrationis emotio ex propria sua sede, et translatio in alienam, vel vera, vel imaginaria, vel tandem media quasi inter has, incerta scilicet et dubia est. Inuertitur vere quippe aliquando ordo in scriptura sacra chronologicus. Ita Genes. XXXVIII. adeoque post Iosephi venditionem, coniugium demum Iudae, et liberorum procreatio narratur, quam tempore tamen antecessit. conf. cap. XLVI, 12. Huius mutati ordinis causas non raro diuinare, immo definire datur, interdum tamen ordinis neglecti rationes nos fugiunt. Cautè adeoque et cogitate haec res tractanda est, et sollicitè dispiciendum, ne vel in excessu, vel in defectu hic peccetur. IOHANNES sane LIGTFOOTVS, vir ceteroquin sagacissimus, ut aperte et ingenua fatear, in iisdem

ex-





*dogmaticis*, quam maxime vero *propheticis*, et omnium  
difficillime in scriptis *paraeneticis*. Psalmorum liber  
prae-

expiscandis nimium aliquando coniecturis indulgit suis, in  
*chronicis temporum*, et *ordine textuum veteris testamenti*, tom.  
I. oper. a pag. 1. ad 150. hoc licet loco et alibi passim: rem  
acu tetigisse, dicendus sit. Studium tamen huius consilii  
diuini causas indagandi, laboris taedio, et rei difficulta-  
te abiicere velle, industrium sacrarum tabularum interpre-  
tem minime decet. Quod ad imaginarias et in S.S. minus  
fundatas transpositiones, foetus illos execrandos et dete-  
stabiles lasciuientis nimium et vix dici potest quantum lu-  
xuriantis ingenii criticorum quotquot hactenus in publi-  
cam prodire lucem audacissimi, ne peius quid dicam, fa-  
mosi istius RICHARDI SIMONIS attinet, de his quid habend-  
um sit, haud ab re erit, tribus indicasse verbis. Nimi-  
rum cum illarum parens in eo totus est, vt integritatem et  
perspicuitatem librorum V. T. adeoque summam illorum  
auctoritatem clam et per cuniculos euerteret, atque eccle-  
siae traditiones illis praeferendas incauti persuaderet, nul-  
lus affirmare dubitat, volumina, prouti nunc exstant, sacra  
prolixiorum instrumentorum compendia tantum esse, ex  
quibus a scribis publicis et collectoribus ea populo tradita  
fuerint, quae illi erudiendo idonea magis videbantur.  
Quandoquidem vero libri in paruis membranis scripti fue-  
rint, quae aliae super alias circa lignum aliquod conuo-  
lebantur, nec inter se confuebantur. Inde factum esse as-  
seuerat, vt non satis accurate voluminum istorum ordine  
seruato, rerum ipsarum dispositio et ordo immutatus fue-  
rit. Quae tamen perturbatio et confusio in pluribus oc-  
currens locis, non ipsis sacrorum librorum auctoribus, sed  
potius communi veterum omnium librorum fato, aut si  
vis infortunio adscribenda sit. Atque huc confugere ma-  
vult,





praefertim in controuersiam venit, et de illo viri eruditissimi, quorum de sacris litteris praeclare mereri studuit diligenti-

vult, quam ad vulgares responfiones, quando Gen. XX. Saram nonaginta annos natam Abimelechus deperisse legitur. Vid. praef. in historiam criticam V.T. it. L. I. c. v. edit. latin. quae mihi nunc ad manus est, Amstelodami clo MDCLXXI. Idem cum SIMONIO sentit IO. CLERICVS in comment. in Genes. cap. citat. At speciatim hunc textum ab iniuria illata vindicat IO. FRANCISCVS BVDDEVS immortalis memoriae theologus, et praeceptor olim meus post facta quoque venerandus, HISTOR. ECCLES. V. T. TOM. I. period. I. sect. III. §. V. p. 283, seqq. In genere vero hos ingenii lusur et opiniones male fundatas egregie refutavit *vir summus* IO. HENRICVS MAIVS in dissert. sacris, p. 7. et IOH. MEYERVS, theologus et philologus Harderouicenfis olim clarissimus, dissert. II. ad feder. olam. adde modo memorati beati MANI examen historiae criticae textus N. T. cuius praefationi subiecit doctorum virorum de P. R. SIMONIO iudicia. De incertis et dubiis textuum sacrorum traiectionibus vt verba nunc faciam, instituti requirit ratio. Destituuntur hae solido fundamento, et tantum praconceptis virorum doctorum nituntur opinionibus. Provocho nunc ad vnum IO. LIGTFOOTVM, libr. citat. ad Genes. II, 1, 2, 3. notantem, *tria haec capituli secundi commata prima ad finem tertii capituli secundum temporis et historiae ordinem inserenda esse.* Si causam huius translocationis vestiges, nulla alia est, quam quod vir doctissimus persuasus fuerit, lapsum fuisse, et in gratiam receptum Adamum ipso, quo creatus fuit, die. Quae prolixius cum capite tertio describantur, tres hos versus priores secundi capituli ad calcem tertii reiiciendos esse, contendit. Duas affert rationes, quibus probare satagit, quare per anticipationem Genes. II,



diligentia, disputant, vtrum in certum ordinem redigi possit, an singuli psalms tanquam peculiare libri tractandi et resoluendi sint. De qua perdifficili quaestione, quae tot virorum doctissimorum ingenia iam exercuit, quid ego sentiam, paucis in praesentia indicare, mihi constitutum est. Quod vt rite faciam, in antecessum obseruandum existimo, sacrarum litterarum studiosos ad triplicem dispositionem atque ordinem librorum, qui canonem constituunt, attendere debere. Vel enim in iisdem ordinem scriptorum, vel temporis, vel argumenti obseruatum fuisse, deprehendimus. Equidem constat, plures libros ab vno, contra ea alios a pluribus auctoribus litteris confignatos fuisse, qui adeoque habita ratione diuersorum scriptorum in certum ordinem redigi possunt. Verbi causa, ita dictos *Samuelis libros* non ab vno, sed pluribus contextos scriptoribus, vid. 1. Chron. XXIX, 29. sat commode ita dispartiri possumus, et XXIV. capita priora Samueli, reliqua eiusdem libri et omnia posterioris, Nathani et Gadi tribuantur. vid. IO. GOTTLIB CARPZOVII *introd. ad libros historicos V. T. c. XII. pag. 313. seqq.* MICHAELIS WALTHERI *officinam biblicam* §. 813, p. 938. cf. tamen I. HENR. HEIDEGGERI *enchiridion biblicum*, p. 79. Idem quoque pronuntiandum est de *regum*, *ephemeridumque* libris, vt et de *proverbiis*. Ordini chronologico historici sacri sedulo instant. Ita *Genesis* cum comple-

ctatur

II, 1, 2, 3. mentio fiat sabbathi, sed quam incerta et nimis longe petita haec sint, neminem latere potest. conf. IO. IACOBI RAMBACHII, nunquam absque honoris significatione mihi nominandi, *Institutiones hermenuticae sacrae*, L. II. c. VI. §. III. p. 221. seqq.





Etatur historiam 2370 annorum, eius diuifio fat commode hac ratione inffitui potest: vt primo loco historia originis huius vniuerfi recenseatur, quam res gestae prioris mundi excipiant, atque his fata mundi posterioris, vsque ad Iosephi obitum, subiungantur. Quae periodi dein in breuiora membra diuidi poterunt. Vtilem hic operam praestitit I. H. MAIVS in *oeconomia temporum V. et N. T.* SALOMON quoque VAN TIL in opere analytico, Traiecti ad Rhenum, 1720. Tandem quoque librorum dogmaticorum oeconomia cognoscitur ex argumento, quod vel vnum vel varium est. Epistola sane posterior *Ioannis* in hoc cum versetur tantum argumento, vt electae dominae, liberisque eius de agnita veritate gratuletur, et ad constantiam exhortetur, in exordium, ipsam tractationem, et epilogum recte dispescitur. Vnum quoque continetur argumentum in epistolis *Iudae*, Pauli ad *Philemonem*, et *tertia* Ioannis. In aliis vero varium occurrit. His praemissis, nunc accurate et considerate dispiciendum est, quis recensitorum ordinum, et mutuum inter se nexuum, in Psalmorum librum quadret. Omnes in vniuersum hos hymnos ab vno Dauide conscriptos fuisse, quidam ex talmudicis doctoribus perhibent, cui sententiae album adiiciunt calculum AVGVSTINVS, EUTHYMIVS, BEDA, alii: eandem quoque e recentioribus quidam fouent, vid. MARTIN. GEIERVS comment. in psalmos in ipsa praefat. et I. G. CARPZOV introd. in libr. poeticos bibliorum CAP. III. §. 3. Sed hi sunt vere, qui parum pensi habent, illud quod 2. Ephemerid. XXIX, 30. de psalmis Dauidis et Assaphi iussu Iechizkiae regis a Levitis publice decantatis, relatum legimus. Ex illorum quoque



quoque inscriptionibus plures fuisse scriptores, absque vlllo negotio euinci potest. Praeter istos enim, quorum tituli docent, a Dauide fuisse compositos, et alios, qui auctoris titulo destituuntur, quos itidem Dauidis, si non omnes, plerosque tamen esse, collatio locorum i. Ephem. XVII, 8. sq. cum Psalmo CV. Actor. IV, 25. cum Ps. II, 1. Hebraeor. IV, 7. cum Ps. XCV, 8. vt alia nunc mittam, abunde docet, alii quoque Psalmorum memorantur auctores, *Moses* scilicet, *Affaphus*, *Heman*, *Ethan*, *Salomon* quoque, quibus a nonnullis *filiu Korae* adduntur. At quis dixerit, hoc ordine cantiones sacras dispositas fuisse, vt primus locus Davidicis assignatus fuerit, quas psalmi reliquorum scriptorum ordine suo excipiant? Hoc qui affirmauerit, vel ne quidem psalmorum inscriptiones legisse dicendus est. Nullum quoque temporis quo contextae sunt sacrae hae cantiones habita ratione, nexum in Psalmorum libro, qualem nunc habemus, inueniri, res ipsa non loquitur, sed clamat. Prolixè hoc et probabiliter, vtcunque fieri potuit, demonstrauit iam laudatus IO. LIGHTFOOTVS in scripto superius citato p. 55. seqq. Ex illius itaque sententia primus locus debetur psalmo *nono*, quippe qui a Dauide occasione victoriae de Goliatho reportatae, conscriptus fuit, hunc ait excipere *Ps. LIX.* cum ipsi a Saule insidiae struerentur. Sequitur *LVI.* quando Dauid se mente captum et insanum simularet, atque ita periculum praesentissimum subterfugeret, et paulo post *XXXIV.* contextum fuisse, nullus dubitat. Psalmum vero *CXLII.* cum in spelunca Adullam lateret, ad finem vero i Sam. *XXII.* collocat *LII.* Atque sic deinceps. Vnde sat superque patet, psalmorum ordinem temporis, quo scripti sunt, minime accommodatum esse.

Adeundi



Adeundi quoque sunt MART. GEIERVS et ROB. BELLARMIN. comment. in Psalms. Quibus adde, si placet, IO. IAC. SCHMIDTI *Biblisches Historicum*, parte quarta, p.390. sqq. Et quid opus verbis est, vbi rerum testimonia, eaque euidentissima adsunt. Restat, vt sollicitè quaestionem discutiamus: an sacrorum hymnorum liber continua serie cohaerentia habeat membra, ita quidem, vt nexus aliquis psalmorum si ad argumentum eorundem attendamus, exhiberi possit. Plerique veterum, qui scripturam sacram prolixioribus commentationibus sibi explicandam sumferunt, parum de psalmorum nexu solliciti fuerunt, rati, praestare nucleo vesci, quam frangendo cortici tempus inutiliter terere. c) Alii tamen diuinum ea in re confis-

B lium

c) De diuisione itaque huius voluminis in alia quinque minora, quae Iudaeos auctores habet, quamque EPIPHANIUS, GREGORIUS NYSSENUS, AMBROSIVS, alii, sequuntur, cum ad praesens nostrum institutum non faciat, non est, vt verbosius nunc dicam. Res quippe nota, atque apud omnes litterarum sacrarum studiosos peruulgata est, gentis Hebraeae doctores, non tamen certo constat, quos, et quo praecise tempore, psalmos in פְּסַלְמֵי דָּוִד libellos quinque diuisisse, finemque singulorum ibi constituere, vbi cantio quaedam sacra, voce *amen* vel geminata, vel cum *halleluiab* posita, clauditur, vid. Pf. XLI. LXXII. LXXXIX. CVI. CL. Quod enim R. D. KIMCHI hanc psalmorum distributionem ipsi Davidi satis pro auctoritate vindicare non veretur, nullam prorsus meretur fidem. Sic Syri quoque et Arabes psalmos diuidunt, conf. I. H. HOTTINGERI *thesaurus philologicus* l. 2. c. 1. §. 3. pag. 497. Reiicit tamen hanc diuisionem HIERONYMVS *praefat. in psalmos*, qui tamen sibi non satis con-





lium latitare, persuasi sunt, quod vel Ezechias, vel Esdras, vel alius quispiam collector, aut intellexerit, aut etiam fortasse non intellexerit. In priore sententia ex recentioribus est theologus et philologus consummatus I. C. WOLFIVS *biblioth. bebr. P. 2. subject. 6. p. 115.* cum ait: *Equidem*

11011

constare videtur, siquidem in *commentario psalmi tertii* sub initium, haud subobscure ipsi Dauidi eam tribuit hymnorum sacrorum dispositionem, quam nunc habemus. Sed egit HIERONYMVS rem optimam pessime, vt praeclare demonstratum dedit IO. TARNOVIUS, *comment. in decem primos psalmos Dauidis*, Rostochii MDCXXI. prolegom. pag. 3. seq. Ipsa tamen haec distinctio, me quidem iudice, nullius pretii est, et nulla ratio afferri potest, quare absque auctorum, temporis et argumenti selectione, Hebraei ne quidem ad numeri aequalitatem attendentes, in quinque volumina psalmos diuiserint. Facit huc quoque quaestio, an mysterium in numero CL. psalmorum lateat? mysticas enim dicti numeri causas quidam venantur, vt *trinitatis*, ob tres quinquagenarios, HIERONYMVS, AVGVSTINVS, REMIGIVS, LOMBARDVS: ob *fidem, spem, charitatem*, per quas obtinetur iobeleum, RVPERTVS: ob status *poenitentium, iustorum, beatorum*, THOMAS. vnde primus quinquagenarius definit in psalmum *miserere* cet. secundus in *miseriordiam et iudicium*; tertii finis est: *omnis spiritus laudat Dominum*. Ob totidem dies, quibus per pluuiam diluuii mundus expiatus est, CASSIODORVS, vide haec enarrantem IO. LORINVM *praef. comm. in psalmos* c. 5. p. 4. Sed haec gratis dicuntur. Probabile tamen est, numeros hos ab Esdra, qui plerumque psalmorum collector fertur, fuisse appositos, qui postmodum in editionibus Graecis et Latinis aliquantum mutati fuerunt, conf. HOTTINGERVS l. c. HERM. FRANCKIVS in *introductione in psalterium generali* §. 16. SIXTINVS AMAMA *antibarbari biblici* l. 3. p. 448.





*non dubitauerim, ordinem, qui hodie obseruatur, certo consilio fuisse institutum, quod tamen hodie nobis aequae, ac plurima alia psalmodiarum momenta occultum sit. Pauci, quos inter eminet NYSSENVS, mysticas rationes excogitauerunt. vid. omnino IO. LORINI praef. comment. in psalmodias c. 6. p. 4. Post restituta puriora sacra, id cum primis operam dederunt horum antistites, vt, vtriusque foederis tabulis lucem variis scriptionum generibus affunderent, hominesque ad diligentem illarum lectionem manuducerent. Quem ad finem, aureum quoque psalmodiarum codicem nocturna diurnaue, vt illud Poetae nunc vsurpem, versarunt manu, atque mira accuratione in verum illorum sensum inquisuerunt, de ordine, quo hymni hi sacri semet excipiunt, parum solliciti. Sufficit nunc nominasse M. LVTHERVVM, tom. 3. Witteberg. P. MELANCHT. part. 2. oper. pag. 548. seq. IO. BRENTIVM oper. tom. 3. p. 192. M. FLAC. ILLYRICVM clau. Script. S. part. alt. p. m. 57. seq. D. CHYTRAEVM oper. tom. 2. pag. 671. seq. IO. CALVINVM comment. in psalmodias. Primus qui de ordine psalmodiarum continuo, toto cogitauit animo, (quantum mihi quidem nunc constat) fuit NIC. SELNECCERVS in dem gantzen ausgelegten Psalter des Königlichen Propheten Davids, Nürnberg MDLXIX. ita ex mente memorati Theologi hic est nexus primorum octo psalmodiarum mutuus, quem apponere non piget: *Der erste Psalm ist gewesen wie ein Eingang und Verwarnung von den zukünftigen Trübsaalen und Anfechtungen, daß man sich mit dem Wort Gottes solle fest und geschickt machen. Der andere Psalm bringet nun die Anfechtung auf die Bahn, und redet von öffentlicher Verfolgung der gantzen Welt wider die**







Christen oder Glaubigen. Der dritte Psalm redet von neuer Verfolgung, die auch von den besten Freunden und Brüdern erregt wird, wider die Frommen, daß man weder Vettern, Kindern, Brüdern, noch irgend einigem Menschen wohl trauen darff. Die Tochter ist wider die Mutter, der Sohn wider den Vater, und also fortan, wie Christus auch davon prediget und spricht: Ich bin nicht kommen Friede zu stiften, sondern das Schwerdt. Der vierte Psalm prediget von allerley Creutz und Ungluck, darinnen die Gottseligen stecken, als in Armubt, Kranckheit, Unfall, und was sich mehr findet im Ebestand, im weltlichen Regiment, und in eines jeglichen Beruff, und in dem gantzen Leben. Darwider solle man sich mit Glauben und Gedult wohl rüsten, und wissen, daß der HErr seine Heiligen wunderbarlich führet, und gibt ihnen doch das täglich Brodt, victum et amicum. Der fünffte Psalm redet von geistlichem Creutz, welches durch falsche Lehrer und Rotten-Geister erregt wird, so unter dem Namen Gottes grossen Schaden thun, und haben den Titul: Bischoff, Hirten, Lehrer, Heilige, Hochgelehrte &c. Wider die solle man sich schiken mit ernstem Gebet zu Gott mit rechter Beständigkeit in der erkannten und bekanten Warheit, daß wir nicht Wetterwendisch sind, heut so, morgen anderst, und unser Lehre allein auf Schrauben steht, und nichts gewiß ist. Der sechste Psalm prediget von einem heimlichen grossen geistlichen Leyden des Gewissens, daß man gedenckt: vvir sind von Gott verstoßen um unser Sünde willen. Denn vvo viel Anfechtung zusammen kommen, so viel ihr jetzo nach einander sind angezeigt, so kan die Vernunfft nicht anders schliessen, denn daß Gott unser nicht achte, und hab unser gantz und gar  
ver-





vergesſen, ja hab uns verivorffen, wie wir am Job ſehen. Dieſer ſiebende Pſalm bringt aber eine neue Anfechtung herfür, und zeigt an: Es machs ein frommer Chriſt wie er wolle, ſo könne er doch nicht ohne Anfechtung ſeyn, ja es müſſen ebe lauter Lügen und Läſtermäuler aufſtehen, welche ihn beſchuldigen vieler Ding, davon er noch nichts weiß, wie dem Herrn Chriſto geſchah vor Caipha und Pilato. Et ad pſalmum octauum pag. 27. Nach groſſer Hitze ſoll billig eine Erquickung folgen, und nach groſſem Regen und Ungerwitter ſoll auch einmahl die liebe Sonne ſcheinen; dievveil nun bishero in den ſieben Pſalmen nach einander lauter Creutz und Elend geveſen iſt, ſo folgt jetzo dieſer achte Pſalm, als ein Erquickung, Errettung und Troſt; denn er redet von dem Herrn Chriſto und von ſeinem Reich, darinnen lauter Freud und Friede iſt, und die Himmel vverden geöffnet, und vvirđ alles in Himmel und Erden dem Herrn Chriſto unterivorffen. Er predigt aber auch von dem Leyden und der Demuth des Herrn Chriſti, daſs er eine kleine Zeit ſey von Gott verlaſſen geveſt, vnd hab ſich geuſſert ſeiner Gotttheit, ſeye ein Wurm vnd Fluch vworden für das menſchliche Geſchlecht, wie wir hören vverden.

Operoſius hoc fecit SALOMON GESNER, primarius quondam Wittebergenſis academiae theologus, in commentationibus in Pſalmos Davidis, quibus meditatio generalis pſalterii adiecta eſt, cap. XIV. p. 905. ſeq. prodiit editio tertia ibidem 1616. Quem itidem audire in rem praeſentem erit. Nimirum exiſtimat, cum in aliis V. et N. teſtamenti libris ordo quidam, et partium cohaerentia ſit obſeruata, quidni in hoc quoque libro, qui adeo nobilis eſt, idem collectori, ſuggerente et moderante





rante spiritu sancto , propositum fuisse , censere liceat ?  
quam tamen suam psalterii digestionem non ita praefere-  
rat , vt mordicus eam tueri , et tanquam necessarium do-  
gma defendere , ac diuersum sentientes oppugnare et  
damnare velit. Quin potius in re obscura et a nemine,  
quod sciat, explicata, alios audire malit, quam ipse ali-  
quid statuere. Haec postquam ingenue et candide prae-  
monuisset, ad rem ipsam aggreditur, et existimat, cum  
finis totius sacri codicis sit, vt nos de aeterna beatitudi-  
ne doceat, in explicanda quoque illa spirituali hominis  
felicitate, eiusque causis, antegressis et iis, quae conse-  
quuntur, nec non contrariis, totum psalmodum librum  
hoc quidem ordine occupatum esse, vt, I. breuissima fu-  
turi operis delineatio primis XX. psalmis contineatur :  
II. vberior subsequatur explicatio beatitudinis secundum  
omnes causas, efficientem, instrumentalem, formalem :  
vbi simul reliqua eius adminicula, et externa quoque  
signa indicentur, e quibus eam colligere promptum fit a  
psalmo XXI. ad XXXIX. III. a psalmo XL. ad LVII.  
eos definiri, asseuerat, qui sint eius beatitudinis parti-  
cipes : IV. vt id genus hominum quod aeternae beati-  
tudinis dono gaudet, reperiatur, explicatum est, quod ni-  
mirum in vera ecclesia et regno Messiae, cuius germani  
solummodo ciues spem tanti muneris habent : regnum  
itaque Christi a LVIII. vsque ad LXXI. definiri : V.  
regnum Satanae regno Christi opponi et describi, ad  
LXXXI. VI. de ciuitate et republica Messiae iterum ser-  
monem fieri, deque eius in suos ordines, politicum ni-  
mirum, ecclesiasticum et oeconomicum partitione, a  
LXXXII. ad LXXXVII. VII. Ecclesiam distingui in mi-  
litan-





litantem et triumphantem, vsque ad CVII. VIII. descri-  
bi statum ecclesiae veteris et noui Testamenti, psalmis  
qui intra septimum et decimum nonum vltra centesi-  
mum numerantur: IX. psalmo CXIX. de organo agi,  
quo colligitur et regitur in hac vita Christi ecclesia, quod  
est verbum Domini: X. diaboli in ecclesiam, postremis  
mundi temporibus, insultus enarrari a psalmo CXX. ad  
CXXX: XI. doceri ad CXLIII. mansuram inter tot re-  
gnorum ruinas, tamque horrendos principum conflictus  
et monarchiarum perturbationes aliquam Deo pla-  
centem ecclesiam, quae officii sui admoneatur: XII.  
extremum tandem psalteri, marginem odas eucharisti-  
cas claudere: quae singula deinceps duodecim sequen-  
tibus capitibus fusius explicat. Cum GESNERO concinit  
IO. SCHMIDIUS, in *denen sechs christlichen Predigten von  
des heiligen Psalters Nahmen, Ursprung, Inhalt, Nutz  
vnd Frucht*, cet. *Strasburg* MDCXXXVII. sermone sacro  
tertio, pag. 65. seqq. et MICHAEL WALTHER in *centur.  
miscell. theol.* p. 239. Alii aliter, vid. GEORGH SERPILII  
*personalia Davidis*, cap. V. Piae hae sunt et ingeniosae,  
quod fateor et profiteor, virorum doctorum de psalmo-  
rum mutuo nexu meditationes; sed firmas vereor vt sint.  
Recte enim monente venerando CARPZOVIO, l. c. *Ipsi  
Psalmorum tituli satis manifesto arguunt, non eadem o-  
mnes occasione, non consimili fine, multo minus ad me-  
thodi certae ordinem ac leges, vel ad vnius corporis har-  
moniam compositos primum, vel ecclesiae traditos fuisse;  
hinc nec collecti tale quoddam, de beatitudine hominis  
consequenda, conficiunt systema, quod continua serie co-  
haerentia habeat capita vel membra, vel cuius partes  
eleganti*





*eleganti et methodica harmonia sibi mutuo respondeant.*  
cet. Controuersiam quoque inter se habuerunt iam lau-  
datus WALTHERVS senior, et CONRADVS PONTINIVS, de  
quaestione, an propheticae chronologiae ita in psalmo-  
rum dispositione ratio habita fuerit, vt ecclesiae fata iam  
inde a Dauidis temporibus ad consummationem vsque  
seculi, serie non interrupta, recenseantur. Quam hic affir-  
mat, ille loc. sup. cit. solidis ductus rationibus negat et  
refellit. Qui ex IO. COCCII prodierunt schola theologi  
clarissimi, non possunt non huic subscribere sententiae,  
in psalmorem ordine mysterii quid quaerendum esse, at-  
que eodem diuersissimas sacrae reipublicae pro periodo-  
rum septem diuersitate indicari conditiones. Digna  
praesertim lectu mihi visa sunt, quae maximi nominis  
theologi FR. AD. LAMPE, in comment. MSS. in *cantica  
graduum*, et FRANCISCVS BYRMANNVS, filius, in dictatis  
itidem MSS. in psalmos, quorum copiam mihi fecit Vir  
amicissimus, meritoque suo mihi aestumatissimus, BALTH.  
LVD. ESKVCHE, collega coniunctissimus, maximo eru-  
ditionis apparatu, nec minori ingenio, huc spectantia  
edisseruerunt. At vero, licet laborem, quem viri docti hanc  
in rem insumserunt, laude dignissimum censeamus, bona  
tamen ipsorum, vt spero, cum venia, dissensionem no-  
stram hac de hypothese testari, licitum erit. Praeter  
ista enim, quae modo obseruata fuerunt, huic Psalmo-  
rum interpretationi, et ad septem periodos accommo-  
dationi quam maxime obstat, quod obtorto collo huc  
hymni sacri trahantur, atque vis manifesta iisdem infera-  
tur, scriptores quoque N. T. nunquam hoc sublimi sen-  
su psalmos citauerint. Ne nunc quid de ipsa hac doctri-  
na



na periodica, et an fat solidis superstructa sit fundamentis? commemorem, de qua quaestione consulendus est IO. MARCKIVS in *praef. comment. in duodecim prophetas minores*, edit. nouiss. Tubingensis, et M. IO. IVSTVS SPIER, in *dissert. de sensu mystico Vitringiano septem epistolarum ad septem Asiae ecclesias exaratarum*, Wittebergae 1730. Perplacent quae beatus FRANCKIVS l. c. §. XVII. praeclare hanc in rem obseruauit: *Sunt qui ordinem Psalmorum tanti faciunt, ut hunc ipsum Σειρηνεύουσαν esse censeant, et saepe a serie psalmorum, seu ratione qua se consequuntur, argumenta explicationum petant. Quoniam vero collocationis psalmorum diuina origo et auctoritas demonstrari non potest, neque euinci an Esdras, ut quisque psalmus in manus eius incidit, ita collocauerit, an vero certa ratione et consilio in hunc, quem videmus, ordinem psalterium redegerit? lubrico certe fundamento inniteremur, si ab eo, cuius ratio certa non constat, rationes interpretationum peteremus. Atqui tamen meminimus, quosdam interpretes non solum generalem totius psalterii partitionem adornasse; sed etiam in singulis psalmorum libris ordinem eorum fundamenti loco iecisse, et interpretationum suarum rationem non aliam dedisse, nisi quod praecedens psalmus eiusmodi argumentum complexus fuerit. Hic veroprobe caueamus, ne, quod saepe fieri solet, quae ingeniosa et elegantia videntur, pro diuinis oraculis habeamus, sed solidas rationes exploremus. Aliud est, ipsa argumenta inter se connectere, quod facere non nunquam licet; item manifestam nonnullorum in vno argumento conspirationem aptis rationibus ostendere: aliud vero ex continuo ordine et serie omnium psalmorum expositionum*





*tionum rationes depromere: qua in re facile sic aberratur, ut nostri ingenii fragmenta inconcussim esse rei fundamentum opinemur. At inquis, quid tandem de nexu psalmorum fiet? vel, quis hymnos sacros in illum redegit ordinem, qui hodie in dispositione illorum conspicitur? In hoc quippe controuersiae vertitur cardo, et certum quid hac de re statui nequit, nisi ad hoc quaesitum responsum fuerit. Ego quid de vexatissima hac quaestione existimem, paucis nunc exponam. Nimirum ut de diuina auctoritate hymnorum sacrorum apertissima demonstratione conuictus sum; ita iridem firmissime mihi persuasum est, quam primum cantus aliquis facer contextus, et symphoniae magistris commissus esset, maxime sacro tabulario illatum fuisse. Cum autem viri huius aetatis pii, Deique cultores assidui, hymnos hos frequentissime decantari audirent; fieri aliter haud potuit, ac quod propter excellentiam suam memoriae, immo litteris mandarent, vel ex Leuitarum exemplis exscriberent. Collecti itaque psalmi non vno, sed diuersis fuerunt temporibus. Primae collectionis mentio fit sub finem Ps. LXXII. כלו תפלות דוד בן ישי *finiuntur orationes Dauidis, filii Iischai.* Ex hac adeoque clausula HVG GROTIVS primam huius suscepti laboris laudem ipsi Dauidi deberi, probare annititur, istos vero, qui sequuntur psalmi, ab Asapho aliisque postremo ab Esdra additos fuisse opinatur. In eandem sententiam it venerandus I. F. BVDDEVS *Hist. eccles. V. T. tom. poster. period. II. §. XXVI. p. 287.* At, si quid iudicare possum, huic opinioni quam maxime obstare videtur, quod istos inter psalmos, qui LXXII. sequuntur, plures Dauidem, et qui prae-*





praecedunt, non omnes eundem auctorem habeant, sed et alios, uti supra vidimus. Neque vlla ratio, quae vel minimam similitudinis verae speciem praese fert, huius instituti Davidici afferri potest. Constat enim v. c. psalmum CXLII. longo tempore ante LXXII. contextum fuisse. Malletm ego itaque statuere, clausulam memoratam a privato aliquo, qui primus psalmos colligere coepit, adiectam fuisse, quam postmodum Esdras, iussu et auctoritate ipsius Dei, approbavit, atque reliqua cantica sacra isto ordine, quo semet ipsi offerebant, adiunxit. Equidem HILARIVS *proleg. in psalmos*, ex priscis traditionibus refert, septuaginta fenes in ordinem et numerum psalmos redegisse. At recte a PETR. DAN. HVETIO in *demonstrat. euangel. propof. IV. §. V. p. 392.* observatum fuit, hoc parum solidum esse. Eadem quippe facilitate, immo maiore, quam hoc dicitur, in dubium vocari et negari potest. Ipse HVETIVS loc. cit. pag. 386. seqq. iam antiquissimis temporibus carmina condita fuisse, quae vna cum Davidis et Salomonis hymnis in loco templi sanctissimo magna diligentia asseruata fuerint, maximam partem, templi incendio, conflagrassent, post reditum vero ex captiuitate Babylonica cum Hebraei pro ea, quae suppetebat, facultate, Deum laudare vellent, collectas fuisse paucas tot psalmorum reliquias, vel ex memoria, vel ex priuatorum hominum codicillis, quibus dein alios a viris piis compositos accessisse, opinatur. Verum in hisce viri doctissimi assertis pleraque dubia et incerta, nonnulla plane falsa, pauca vero similia occurrere, iam dudum more suo solito, hoc est, perquam solide probavit, summe venerandus I. F. BVDDEVS, l. c. pag. 284. seqq.





73756


seqq. Ex aliorum, patrum praefertim, sententia, viri Ezechiae II. Ephemerid. XXIX, 30. memorati, carmina collegerunt sacra. Verum, si dicendum quod res est, coniectura aberrant, siquidem comma illud, ad quod prouocant, id non probat, quod probandum erat. Illustris HVTII coniecturae, psalmos eo ordine ab Esdra et viris synagogae magnae digestos fuisse, quo in templo canebantur, quam maxime Hebraeorum praxis, in pandectis talmudicis passim memorata, obstat. Sunt alii, qui post Esdrae tempora hoc factum fuisse autumant, cum tamen confet, Esdram cum collegis canonem veteris testamenti auctoritate diuina constituisse. Singulos itaque psalmos, in analysi, vt peculiare libros resoluendos et disponendos esse, et psalmorum titulos, vel si hi deficient, ipsum argumentum, vel materiam docere, persuasus sum, vtrum hymnus aliquis sacer ad classem *comprecationum*, an *deprecationum*, *commonitionum*, *gratiarum actionum*, *prophetiarum*, et sic porro, pertineat. De qua, pro argumenti diuersitate, psalmorum distributione, auctores, saepius memorati, consuli poterunt, qui fontium instar, copiosioribus fluentis sitim nostram restinguent.

Dab. Rintelii, v. KAL. Maii 1616ccxxxvi.



X 2639 157





COMMENTATIO HERMENEVTICA  
BREVIS

DE

MVTVO  
PSALMORVM  
NEXV

QVAM

IN CONVENTV ANNIVERSARIO

III. KAL. IVN. clb lcccxxxvi. INDICTO

*PL. REVERENDIS*

VERBI DIVINI PRAECONIBVS

IN COMITATV HASSO-SCHAVMBVRGICO

DIIVDICANDAM EXHIBET

D. IO. ENGELH. STEVBER.

RINTELII

EX OFFICINA IOH. GODOFR. ENAX, A. T.